DE

ANTONIO MVSA OCTAVIANI AVGVSTI MEDICO ET LIBRIS QVI ILLI ADSCRIBVNTVR

COMMENTATIO

SCRIPSIT

IOANNES CHRISTIANVS GOTTLIEB ACKERMANN

MEDICINAE DOCTOR ET IN VNIVERSITATE LITERARIA ALTORFINA PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGA.

ALTORFII
EX OFFICINA HESSELIANA.

MDCCLXXXVI.



§. 1.

Serius ad Romanos cum aliis artibus liberalioribus medicina a Graecis peruenit nec in magna apud eos exiſtimatione habita eſt. ARCHAGATHI enim, LYSANIAE filii, qui primum e Peloponeſo Romam venerat anno U. C. DXXXV. dato ei Quiritium iure emptaque ob id taberna in compito Acilio publice, nomen, ob ſecandi vrendique ſaeuitiem, in carnificem et in taedium ars omnesque ſimul medici transiere. a) Etenim licet veteres Romani, qui ſine medicis quidem, non tamen ſine medicina viuebant, in morbis auertendis et curandis operam quandam ante Graecam medicinam ad eos perductam collocarent, translato adeo ad eos anno U. C. CCCCLX. ab Epidauro cultu AESCVLAPII, ipſique, peſtilentia grauiter ſaeuiente, anno U. C. CCLXXXVI. DIONYSIO HALICARNASSENSI teſte, b) medicamenta aliaque morborum lenimina adhiberent, aliaque lue anno U. C. CCCI. ſaeuiente, eodem teſte, c) nec medici, nec miniſteria ſufficerent, Graecam tamen medicinam, rudes in omnibus artibus, quae ingenii cultum quendam requirunt, repudiarunt, non eam ob cauſſam, quod ex ea in publicam vtilitatem nihil redundaret, verum metu haud forte iniuſto, ne, ſi Graecorum genus literas ſuas daret cum iisque medicos ſuos mitteret, omnia corrumperentur. *Iurarunt inter ſe Graeci*, inquit M. CATO in oratione ad M. filium d) *barbaros necare omnes medicina*: *ſed hoc ipſum mercede faciunt*, *vt fides iis ſit et facile diſperdant*. Quae licet inique ſine dubio et odioſe in Graecos dicta a viro Romano principe, ſatis probant, Graecam medicinam Romanis admodum copioſam fuiſſe, ius Quiritium ARCHAGATHO datum plures alios e Graecis medicinam profeſſis Romam traxiſſe medicosque Graecos, ingenuos, nulla ſeruili macula dehoneſtatos, ius Quiritium adeptos, Romae, temporibus quibus M. CATO orationem ad M. filium conſcripſit, complures fuiſſe, qui aegrotis, data iis curationis mercede, li-

 beram

a) *Plinius* XXIX, 1.
b) Lib. IX. antiq. Rom. pag. 599.
c) Lib. X. pag. 677. cf. *Io. Henr. Schulze*, celeberrimi quondam in vniuerſitate Altorfina, poſtea Halenſi profeſſoris, hiſtor. medicinae, period. II. cap. 6.
d) apud *Plinium* l. c.

ſeram ex omni parte operam darent. Talis autem medicinae Graecae ad Romanos translatae ſtatus fuit ab anno U. C. DXXXV. quo ARCHAGATHVS Romam venit, vsque ad ea tempora, quibus M. CATO fato functus eſt, quae in annum U. C. DCV. cadunt.

Verum Romanus populus, in artibus accipiendis caeterum haud lentus, qui ad ſexcenteſimum annum a) ſine medicis vixerat, talibus nempe, qui Graecorum medicorum more ſcientiae ſuae peculiarem operam darent, attamen non ſine medicina, iniuria ſine dubio motus, qua Graeci medici aegros ſecandi ſaeuitia ſua adfecerant, et M. CATONIS auctoritate maxima, medicinam Graecam Romam nouiter allatam ſtatim parui fecit neglexitque, adeo vt poſt ARCHAGATHI et M. CATONIS tempora medicorum ſtatus in ignominiam tranſiret. Ab his enim temporibus vsque ad ea, quibus IVLIVS CAESAR ſumma rerum potitus eſt, nullus in antiquis auctoribus locus occurrit, ex quo perſpicue pateat, medicos ingenuos, Romanos ciues, familiae nulli addictos Graecos Romanosue medicinam Romae exercuiſſe aliamque medicorum Romae conditionem quam ſeruilem fuiſſe, b) licet

a) Vltra ſexcenteſimum annum, inquit *Plinius*, l. c. Sed haec ſine dubio dixit iniuria motus, quae aegris ſuis temporibus a medicis illata eſt. Si enim, vt communis opinio fert, *Archagathum* primum medicum Romanum ponimus e Graecia aduentitium, prima medicina Romanis a medico Graeco iam fuit anno vrbis DXXXV. conf. G. G. *Richter* diſſ. *priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua.* §. 4. *pag.* 418. *in Opuſc. tom. II.*

b) Ingenuum medicorum Romanorum ſtatum adſeruerunt inter alios *Drelincourtius*, *in apologia medicorum contra calumniam medicos 600 annis Romae exulaſſe Op. P. II. p.* 408. *Iac. Sponius* in libro: *Recherches ſur l'antiquité.* p. 441. *Lampe* in peculiari opere *de honorib. et priuileg. medicor.* pag. 83. ſeq. *Rich. Mead in orat. anniuerſar. Harvaei.* pag. 14. *Daniel Vinck in amoen. philolog. medic. Io. Henr. Schulze in hiſtor. medicinae* et plurimi alii de hiſtoria medicinae ſcriptores. Tandem vir eximiae eruditionis, *Georg. Gottl. Richter* in diſſ. cit. *priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua.* Seruilem vero ſtatum *Cornel. Agrippa de incertitud. et vanit. ſcient.* cap. 83. *Ianſ. ab Almeloveen inv. nov. antiq.* §. 4. *Conyer Middelton diſſ. de medicor. apud veteres Romanos degentium conditione* p. 10. auctorque libri *medicus Romanus ſeruus LX. ſolidis aeſtimatus.* L. B. 1671. vt alios plures, mota inprimis a *Middeltono* controuerſia, taceam.

licet complures auctores medici, scientiae, quam profitentur, ignominiosum putantes, si seruis ingloriisque aliis hominibus Romae fuerit propria, enixe data opera in contrario probando, at sine multo successu insudauerint. Quae enim in hoc interuallo viuentes PLAVTVS, qui ARCHAGATHI aetatem proxime adsequutus est, et paulo post viuens TERENTIVS de medicis proferunt, si et ad ingenuos referri possent, medicinam tamen medicosque in magno honore fuisse non probant, PLAVTO a) inprimis medicinas tonstrinis adiungente. Nec quae CICERO in oratione pro Archia notat de Graecis quaestus caussa Romam venientibus et sub accessu ciuitate donatis coniecturam admodum firmant in his Graecis ciuitate Romana donatis medicos plures fuisse, licet non abnuam temporibus IVLII CAESARIS aeuum proxime antecedentibus in plurimis peregrinis ciuitate donatis medicos etiam fuisse. Quae Aquilia maxime lege probantur Caesaribus quidem, sed non multum antiquiore, qua in medicos imprudentiae et errorum in medendo reos actio licuit. b) Scriptores autem ingenuum medicis Romanis statum semper fuisse adferentes mire mixtis confusisque omnibus nullaque locorum aut temporum ratione habita, incongrue quae cum medicis in Graecia, quae medicos semper in maximo honore habuit, acta sunt, ad Romanos, quae Romae sub Caesaribus cum medicis acta sunt, ad acta temporum inter ARCHAGATHVM et IVLIVM CAESAREM intercedentium retulerunt.

§. II.

Seruilem vero conditionem medicos Romanos plures egisse IVLII CAESARIS temporibus, prius nempe, quam ipse ciuium numerum insignem in colonias transmarinas deduceret, paucosque fuisse Romae medicos ingenuos et ciuitate donatos facile probari potest. Ipse enim CAESAR, SVETONIO c) teste, *quum Rhodum hybernis mensibus traiiciens a praedonibus caperetur, apud eos, non sine summa indignatione prope XL. dies mansit cum vno medico et cubiculariis duobus, nam comites seruosque caeteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat.* Qui locus licet non expedite probet, vtrum medicus comitibus an seruis adnumerari debeat, ipseque PLVTARCHVS d) comitibus eum diserte

a) *Amphitr. Act.* 4, 1. *Epidic. Act.* 2, 2.
b) *Instit.* IV. tit. III.
c) *Iul.* 4.
d) *in vita Caesaris.*

ferte adnumeret, fuſpicionem tamen, perpenſis iuſte omnibus, mouet, medicum et cubicularios feruos fuiſſe, qui corporis capti domini curam gererent, qualis etiam ISAACO CASAVBONO a) mens fuit.

Octoginta autem ciuium millibus in transmarinas colonias diſtributis, vt exhauſtae quoque vrbis frequentia ſuppeteret, CAESAR, ſuprema in republica poteſtate potitus, ſanxit, ne quis ciuis maior annis viginti minorue quadraginta, qui ſacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abeſſet: neu quis ſenatoris filius, niſi contubernalis aut comes magiſtratus, peregre proficiſceretur: neque hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter paſtores haberent. *Omnesque medicinam Romae profeſſos et liberalium artium doctores, quo libentius et ipſi vrbem incolerent, caeterique appeterent, ciuitate donauit.* b) Quam immunitatem medicis conceſſam etiam ALEXANDER AB ALEXANDRO c) probat, CAESAREM medicinam profeſſos et liberalium artium doctores praecipui muneris loco ciuitate donaſſe perhibens.

Viliorem medicis conditionem Romae, ante donatam iis a IVLIO CAESARE ciuitatem fuiſſe, medicorum copiam his temporibus Romanae vrbi non ſuppetiiſſe, edictumque, quo ciuitas medicis data eſt, eam etiam ob cauſſam peruulgatum eſſe, vt plures appeterent, Romanos his temporibus medicinae parum ſtuduiſſe, exteris medicis vſos, facile patet. Dato autem ciuitatis iure medicis, medicina ſtatim apud Romanos in honore haberi coepit, medicique, in quibus tamen exteri, aduenae ingenuique diligenter a ſeruis medicis diſtinguendi ſunt, magna exiſtimatione culti ſunt, ita vt complures clariſſimi apud Romanos viri medicis amicis vſi ſint. d)

Idem

a) *in not. ad Plutarchi Caeſ.* Amicum *Plutarchus* in Caeſare vocat, ex eoque loco quidam ingenuum huius medici ſtatum probare ſtuduerunt, inprimis *Dan. Vinck amoenit. philolog. medic.* p. 464. Locus autem *Plutarchi* etiamſi probet hunc medicum Caeſari carum fuiſſe, *Suetonii* tamen locus probare videtur, ob compoſitum medicum cum cubiculariis, eum e ſeruis Caeſaris fuiſſe.

b) *Sueton. Iul.* 42.

c) *Lib. IV. genial. dier. cap.* 10. cf. *Dan. Vinck amoenit.* V, *6. pag.* 168.

d) Sic *Cicero Aſclepiadem*, medicum celeberrimum, amicum habuit, *de orat.* I, 14. Alio etiam medico, *Aſclapione Patrenſi* vſus eſt valde familiari-

Idem fere medicorum ſtatus Romae, OCTAVIANI AVGVSTI temporibus fuit. Complures Romani medicos ſeruos habuerunt, forte corporis externam curam gerentes, vt quidam ſummo, at vano ſtudio adſeruerunt. Licet enim facile largiar non vbique ſub medicorum nomine hos tantum intelligendos eſſe, qui aut diaeta aut medicamentis internos morbos curant, ſed manu etiam opem medicam ferentes, vnguentarios, ocularios, caet. quod a doctiſſimis viris ſatis iam euictum eſt: non tamen et hoc facile concedam, medicos omnes, quorum ſeruilis conditio certe conſtat, his adnumerandos eſſe, ingenuos vero medicos Romanos omnes internae morborum curationi operam dediſſe. Fuit enim tam IVLII CAESARIS quam AVGVSTI temporibus omnis paene Romanorum penes Graecos medicina, omnesque paene horum temporum medici, qui in libris memorantur, Graeci ſunt ſerui, in iisque qui medicorum ſeruitia praeſtarent complures, ingenui, ſi Romae ſine ſeruitio degerent et poſcentibus medicinam adminiſtrarent. Numerum tamen medicorum, ſine ſeruili nota Romae degentium Graecorum, data iis a IVLIO CAESARE ciuitate Romanae, admodum increuiſſe credibile eſt, inprimis quum immunitatis quodam priuilegio fruerentur et in principis populique aeſtimationem perueniſſent, teſtante id clare SVETONII loco, quo AVGVSTVS magna quadam ſterilitate venalitias et laniſtarum familias peregrinosque omnes, exceptis medicis et praeceptoribus, expuliſſe eoque modo effeciſſe vt annona conualeſceret traditur.a) Quae autem de celeberrimis medicis ex Romanorum familiis, Caſſiis, Calpitanis, Aruntiis, Albutiis, Rubriis, PLINIVS b) perhibet, ea omnia ad ea tempora referenda ſunt quae AVGVSTI aetatem exceperunt, in quibus

miliariter eiusque artem in valetudine ſuorum expertus eſt. „*In qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate beneuolentiaque ſatisfecit. Hunc igitur Tibi commendo et a Te peto, vt des operam vt intelligat, diligenter me ſcripſiſſe de ſe meamque commendationem vſui magno ſibi fuiſſe.*„ — *Epiſt. ad famil.* XIII, 20. *Aſclepiadem* tamen a ſeruili conditione non penitus liberat *Thomas Reineſius*, vir non infimae in his rebus auctoritatis, inſcriptione probante *Aſclepiadem Pruſenſem* medicum, *Aſclepiadis*, nouae ſectae conditoris, qui Romae, temporibus *Pompeii Magni* vixerat, forte nepotem, cum imperantibus *Traiano*, *Hadriano*, et *Antonino* ſeruili conditione fuiſſet, a T. *Calpurnio* manumiſſum eſſe. *Epiſt. ad Rupert.* XLVI. pag. 394.

a) Aug. 42. cf. *Oroſ.* VII, 2.

b) XXIX, 1.

quibus Romani, perſpecta vtilitate medicinae, magnaque mercede ducti, illi libenter operam dederunt, non tamen vrbi ſufſecerunt, adeo vt complures medici Graeci, in iisque celeberrimi, in quibus GALENVM nominaſſe ſufficiet, Saeculo poſt Chriſtum nato I. II. et III. Romae medicinam cum plurimo honore lucroque exercuerint.

Caeterum doctiſſimi viri DANIEL VINCKIVS, a) IOANNES CLERICVS, b) IO. HENR. SCHVLZE, c) GEORG. GOTTL. RICHTER d) aliique complures, medicinae dignitatis partem haud exiguam detrahi putantes, dum a ſeruili contumelia homines, qui Romae eam exercuerint, vindicari non poſſent, congeſtis compluribus opinioni, quam conceperant, fauentibus teſtimoniis, probarunt quidem fuiſſe Caeſarum temporibus medicos Romanos quosdam ingenuos et ab omni ſeruili conditione perfecte liberos, at licet euincerent fuiſſe in ſeruis Romanorum complures, qui aut externam opem ferrent, aut curae corporis domini praeeſſent, hoc tamen non effecerunt, vt omnes medicos, qui internis medicinis morbos internos curarunt, a ſeruitute liberarent, aut omnis medicinae internae vſum ſeruis detraherent. Medicos ſeruos AVGVSTVS habuit internis morbis operam dantes, probante epiſtola AVGVSTI ad AGRIPPINAM data. e) CN. DOMITIVS ſeruum manumiſit medicum, quod venenum ſumptum, quod poenitentia euomuerat, temperaſſet. f)

§. III.

In amicorum comitumque numero medicos AVGVSTVS habuit MARCVM ARTORIVM et ANTONIVM MVSAM. ARTORIO amico vſus eſt SVETONIO g) teſte ab eoque a ſummo vitae periculo ſeruatus. Quum enim bellum cum BRVTO gereret grauique valetudine in caſtris implicitus a praelio abſtinere ſtatuiſſet

a) Amoenitat. philolog. medic. Sect. III. cap. 6.
b) hiſtoire de la médecine. Part. III. Liv. I. chap. 2. p. 565 ſeqq.
c) hiſtoria medicinae. Period. II. cap. 6.
d) diſſ. cit. *priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua. Opuſc.* t. II. p. 426 ſeqq.
e) *Mitto praeterea cum eo ex ſeruis meis medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, vt retineret. Sueton. Calig.* 8.
f) *Sueton.* in Neron. 2.
g) Non medicum, ſed amicum vocant *Suetonius* in Auguſto. 91. *Appianus* de bello civ. pag. 653.

ſtatuiſſet nec tabernaculo egredi, medico eius ARTORIO a) Mineruae ſpecies in ſomnio obuerſata eſt, monens, ne propter corporis imbecillitatem in caſtris ſeſe contineret. Itaque in aciem lectica perlatus eſt: et eodem die caſtra a BRVTO capta ſunt; b) lectica eius, quaſi cubans ibi in caſtris remanſiſſet, confoſſa concurſu hoſtium atque lacerata. Eidem ARTORIO cenotaphium a Smyrnenſibus poſitum CAROLVS PATINVS peculiari commentatione docte illuſtrauit. c)

Scriptis variis celebrem hunc AVGVSTI medicum et amicum d) MARCVM ARTORIVM e) in vnum contulerunt cum ANTONIO MVSA noſtro viri doctiſſimi BRISSONIVS, f) TORRENTIVS, g) MENAGIVS, h) VOSSIVS, i) LAMBECIVS, k) ſed parum firmis rationibus vſi. ARTORIVS enim ſtatim poſt victoriam Actiacam naufragio ſupremum obiit diem, EVSEBII chronico teſtante, ex eoque GISB. CVPERO et DAN. HEINSIO l) quae victoria VI. non. Septembr. anno U. C. DCCXXIII. accidit, ANTONIVS autem MVSA elapſo decem annorum ſpatio, anno U. C. DCCXXXII. AVGVSTVM valenti ſua medicina a periculoſo morbo liberauit, bello Cantabrico finito. m)

CAME-

a) Medicum diſerte vocant auctores, qui hanc hiſtoriam perſcripſere, caeteri paene omnes.
b) *Lactantius* div. inſtit. II, 7. Eadem perfecte tradunt *Plutarchus* in Bruto. 60. qui Caeſarem ipſum in commentariis ſuis prodidiſſe ſcribit Artorium hoc ſomnium habuiſſe. *Velleius Paterculus*, II, 70. *Florus*, IV, 7. *Valer. Maximus* I, 7. 1. *Appian.* de bello civil. *Sueton.* Aug. 91.
c) Comment. ad cenotaph. M. Artorio a Smyrnenſibus poſitum. Patav. 1689. in 4to.
d) Librum de hydrophobia citat *Coelius Aurelianus acut.* III, 14. περὶ μακροβιοτίας *Clemens II, paedagog.* 2.
e) Ita eum *Plutarchus* vocat.
f) Lib. II. ſelect. antiq. cap. 3.
g) ad Horat. Ep. I, 15.
h) amoenit. iuris. 35.
i) de philoſophia. XII, 1.
k) Biblioth. Vindobon. II, 7.
l) Heinſ. ad Vellei. Paterc. II, 70.
m) conf. de his omnibus *Daniel Vinck* amoenit. philolog. medic. pag. 323 ſeqq.

CAMELVM AVGVSTI medicis adnumerauit DANIEL VINCKIVS, a) PLINII b) loco quodam ductus, quem ex antiquiſſimo APVLEII exemplari de ſalutaribus remediis ita reſtituit, vt, quum editi libri legant: *Divus certe Auguſtus lactuca conſeruatus in aegritudine fertur, prudentia Muſae medici. Cum priores cauerent, religione nunc omni caret*, caet. ipſe vero ad huius exemplaris fidem legat: *Divus certe Auguſtus hac lactuca conſeruatus in aegritudine fertur prudentia Muſae medici, cum prioris Cameli religio nimia ei abnegaret.* Ex qua emendatione, quae autem parum firmis fundamentis nititur, quum in PLINII loco nihil mutandum ſit, c), concluſio ipſi eſt CAMELVM, priorem AVGVSTI medicum, lactucam ipſi interdixiſſe.

§. IV.

In ſummam autem exiſtimationem, ob medicinam AVGVSTO graui valetudine adfecto feliciter adminiſtratam ANTONIVS MVSA peruenit, Graecus origine, contrarium licet ſtatuentibus DANIELE CLERICO d), aliisque, qui ex Pomponia plebeia Romanorum gente ortum putant. MVSAE cognomen a patrono accepiſſe quidam ſtatuunt, e) ſed pariter ſine plurima veritate. Graecum autem fuiſſe ex ſeruili conditione, in qua ante libertatem ab AVGVSTO ipſi datam vixit, et inde clarum eſt, quod fratrem EVPHORBIVM habuerit IVBAE medicum, cuius nomine IVBA plantae genus euphorbiam dixerit, qui PLINIO f) teſte, cum ANTONIO fratre primum inſtituit a balineis frigidis multa cor-

a) Amoenit. phil. med. p. 329.
b) XIX, 8.
c) Attamen medelam fecere viri docti complures huic loco, at foedam. *Harduinus cum Artorii Camelii religio nimia negaret* legendum putat, *Clericus* loco Camelii, C. Volgii, qui librum de plantarum proprietatibus temporibus Auguſti conſcripſerit. *Wieland*, V. Ill. medicum qui *Auguſtum* calidis medicamentis tam male curauerat, Aemilium dicit, typographi forte errore. vid. ei. praeclarum opus: *Horazens Briefe* — Th. I. p. 709.
d) *hiſtoire de la médecine*, *P. III. Lib. I. cap.* I. p. 557.
e) *Ludov. Chr. Crellii* rſp. *Io. Fr. Crellio diſſ. Antonius Muſa Auguſti medicus obſeruationibus varii generis illuſtratus.* Lipſ. 1725. §. 3.
f) Plin. XXV, 7. De graecis Muſae originibus conf. *Tournefort iſagog. in rem herbar.* pag. 6.

corpora adſtringere, quum antea non mos fuerit niſi calida tantum lauari. ASCLEPIADE Graeco, poſtea Romano medico feliciſſimo, nouae ſectae conditore, ex cuius doctrina ſubſequuti methodici ſuorum partem maximam hauſerunt, praeceptore vſus eſt, ita tamen, vt ea, quae decedente e vita ASCLEPIADE THEMISON de praeceptoris doctrinis mutauerat, MVSA iterum mutaret, probante id PLINIO, a) his verbis: *Mutata et quam poſtea Aſclepiades, vt retulimus, inuenerat.* (ſecta) *Auditor eius* THEMISON *fuit, qui, quae inter initia ſcripſit, illo mox recedente a vita ad ſua placita mutauit. Sed et illa Antonius Muſa, eiusdem auctoritate Diui Auguſti, quem contraria medicina periculo exemerat.* Seruum autem aut libertum Auguſti fuiſſe priusquam illum ab ancipiti morbo contraria medicina liberaret, DIONIS CASSII locus manifeſte probat, b) quo eum Auguſti libertum diſerte appellat. Nec eſt quod argumentis a CRELLIO c) et DAN. VINCKIO d) copioſe enarratis diu inhaereamus, quibus ad ſeruilem MVSAE maculam delendam ſpecioſa quidem doctrina vſi ſunt, rem vero extra dubitationem non poſuerunt. Quae enim ab ASCLEPIADE praeceptore, ab annulo aureo equeſtri ipſi dato, a muneribus ipſi a ſenatu populoque Romano datis et ſtatua ipſi, aere collato, in foro ad ſignum Aeſculapii poſita deſumſere argumenta omnia ingenuas MVSAE origines nullo modo euincunt, et licet vnicus teſtis DIO ſit de ANTONIO MVSA Auguſti liberto, nec ab omni veritate argumenta recedant, quibus DIONIS auctoritas ſuſpecta redditur, medici tamen, qui de annulo aureo MVSAE dato hiſtoriam, quam pariter DIO ſolus refert, (aliis ſcriptoribus de pecunia ipſi copioſe data et de honoribus a ſenatu populoque ipſi decretis tantum referentibus) veriſſimam ſupponunt, et in hoc, quod ab AVGVSTO manumiſſus fuerit MVSA, DIONI fidem habeant neceſſe eſt.

Libertus autem AVGVSTI ANTONIVS MVSA noſter medicinam cum plurima laude exercuiſſe in eaque plurima, mutatis medicorum, qui eum praeceſſerunt,

a) *Plin.* XXIX, 1.
b) *Dio.* L. LIII. pag. 517. C. edit. Io. Leunclavii Hanov. 1606. in fol.
c) *diſſ. de Anton. Muſa.* §. 5.
d) *Amoenit. philolog. medic.* pag. 328.

ferunt, doctrinis, praestitisse videtur. Celeberrimum medicum fuisse, non solum AVGVSTI curatio probat, mox vberius enarranda, verum etiam compositiones medicamentorum plurimae; ipsi propriae, et a posterioris aeui medicis, vt memoria efficacium medicinarum suarum perstaret, literis mandatae. Medicamentum ad icterum SCRIBONIVS LARGVS, a) panacaeam Musae GALENVS, b) pastillos ORIBASIVS, c) alios pastillos AETIVS, d) antidoton MYREPSVS, e) collyrium MARCELLVS, f) enarrant, vt alias compositiones medicamentorum ab iisdem auctoribus aliisque eidem adscriptas descriptasque taceam.

Nouas etiam insolitasque suo tempore medendi vias ingressus est, *cum enim incidisset insanabilia vlcera, viperas edendas dedit miraque celeritate persanauit,* g) quam medicinam nostris demum temporibus ad varia cutis vitia difficillime sanabilia efficacissimam experti sunt Indiae occidentalis incolae, medicique illos imitati. Fortunae autem suae in exercenda medicina famam summopere auxit cum a suetis his temporibus medicorum doctrinis et ab ipso adeo ASCLEPIADE praeceptore deflecteret locoque calidae, qua Romani frequentissime vti consueuerant, frigidam aquam ad varios morbos commendaret, eamque contra medicorum aeui sui morem ad curandas humanas affectiones frequentius adhiberet. Baias celeberrimas ob thermas, quae generatim neruis prodesse putabantur pedibusque aut coxendibus luxatis fractisque, quibus ad aluos laxandas, vulnera sananda et ad capitis auriumque morbos eximias virtutes Romani tribuere, damnauit et HORATIO defluxionibus et lippitudine vexato suasit, vt gelida per medium frigus perlueretur.

Quae

a) *compos. medic.* 110.

b) *de composit. medicament. sec. loc.* VII, 5.

c) *IV. de loc. affect. cur. c.* 127. *Synops.* L. III.

d) *tetr. I. Serm. IV. cap.* 12. *II,* 2. *cap.* 82.

e) *Sect. I. de antidot.* 183.

f) *de medic.* cap. 8.

g) *Plinio* teste XXX, 13. Qui locus probat *Antonium Musam* etiam medicinae quae manu opem fert, operam dedisse, non sicuto admodum his temporibus medicis Romanis ingenuis modo, qui medicinam manu administratam seruis vtplurimum reliquere.

Quae fit hyems. Veliae, quod coelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio et qualis via: nam mihi Bajas
Mufa fuperuacuas Antonius, et tamen illis
Me facit inuifum, gelida cum perluor vnda
Per medium frigus. a)

Frigidam autem impenfe laudando eamque ad varios morbos feliciter adhibendo, inprimis autem curatione feliciffima, qua AVGVSTVM a defperato paene morbo liberauerat, effecit, vt Bajae, quibus antea frequentiffime Romani ad morbos vtebantur, a pluribus relinqueretur, eodem HORATIO tefte:

Myrteta relinqui
Dictaque ceffantem neruis elidere morbum
Sulphura contemni vicus gemit, inuidus aegris
Qui caput et ftomachum fupponere fontibus audent
Clufinis, Gabiosque petunt et frigida rura. b)

Primum frigidae medicinae apud Romanos auctorem ANTONIVM MVSAM Romani medici copiofe imitati funt, damnatis balineis, maxime autem CHARMIS MASSILIENSIS, qui PLINII temporibus Romae vixit frigidaque penitus, vt videtur, ex ANTONII MVSAE mente confilioque, quod HORATIO dederat, vfus eft. Etenim, vt PLINII verbis vtar, *frigida etiam hybernis algoribus lauari perfuafit merfitque aegros in lacus. Videbamus fenes confulares vfque in oftentationem rigentes.* c)

Frigidae autem virtutes maxime probauit, cum AVGVSTVM eadem a morbo admodum ancipiti et periculofo, pertinaci arthritica deftillatione cum corporis colliquatione, liberaret, adhibita antea contraria penitus medicina, calida videlicet, potu, fomentis, corpore adeo crebro ea perfufo, ipfoque adeo conclaui tam arcte claufo, vt frigori ne minimus acceffus pateret. Priftinam autem omni modo fanitatem reftituit frigida, vt per longiffimum tempus fine multa valetudine viueret, adhibitis fimul refrigerantibus medicinis, teftibus curationis auctoribus praecipuis, PLINIO, d) SVETONIO, e) DIONE CASSIO. a)

a) Horat. Epift. I. 13. ad Valam.
b) Epift. citat.
c) Plin. XXIX, 1.
d) Plin. XIV, 8.
e) Suet. Octav. 81.



SIO. a) SVETONIVS curationem ita enarrat: *Graues et periculosas valetudines Augustus per omnem vitam aliquot expertus est: praecipue Cantabria domita, cum etiam destillationibus iecinore vitiato ad desperationem redactus contrariam et ancipitem medendi rationem necessario subiit, quum calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Musa.* Lauacris et potionibus frigidis AVGVSTVM ab ANTONIO MVSA restitutum DIO monet, quum nihil eorum, quae maxime ad sanationem opus erant, posset facere. Frigidas autem potiones vim salutiferam suam a lactuca maxime habuisse, PLINII locus probat: *Est quidem lactucis natura refrigeratrix, et ideo aestate gratae stomacho fastidium auferunt cibique appetentiam faciunt. Divus certe Augustus lactuca conseruatus in aegritudine fertur prudentia Musae medici. Cum priores cauerent religione nunc omni caret, in tantum recepta commendatione, vt seruari etiam in alienos menses eam oxymelite repertum sit.*

Tam felicem autem curationum suarum successum ANTONIVS MVSA non vbique expertus est. Sanato enim quamuis hoc modo AVGVSTO in extremam a diro morbo desperationem redacto, MARCELLVS, breui post in similem valetudiuem delapsus eodemque ab ANTONIO MVSA modo tractatus supremum diem, DIONE b) teste obiit, indeque factum est, vt fortunae potius quam arti HORATII interpretes plurimi AVGVSTI sanationem tribuant, non reputantes, aduersa, quae in morbis accidunt, saepissime extra omnem medici culpam euenire. Si autem DIONIS fides vlla in re suspecta est, in hac certe ab omni falsi suspicione liberari nequit, quum PROPERTIVS, c) MARCELLI familiaris et coaeuus, Baias admodum inuisas habeat, quod amicum suum occiderint. Inde patet mortis culpam maximam in Baianas aquas cecidisse, aut nimis diu adhibitas priusquam MVSA in auxilium vocaretur, d) vt contraria sua medicina morbum praesocare nequiret, aut neglectis

relictis-

a) hist. L. LIII. pag. 517. C. edit. cit.

b) Libr. LIII. pag. 517. D. *ὁ μεν Αυγουστος οὑτως εσωθη, ὁ δε δη Μαρκελλος, νοσησας ου πολλῳ ὑστερον, και τον αυτον εκεινον ὑπ' αυτου του Μουσα τροπον θεραπευομενος απεθανε.*

c) Eleg. 16. Libr. *III.*

d) Hinc etiam quidem Marcellum in Stabianis aquis frigidissimis mortuum referunt. conf. *Crell. diss. de Antonio Musa* §. 10.

relictisque MVSAE confiliis, ceffante frigidarum medicinarum et refrigerantium vfu, in vfum vocatas.

§. V.

Ob fanitatem autem AVGVSTO cum tanto vitae periculo decumbenti feliciter reftitutam ANTONIVS MVSA honoribus ampliffimis ornatus eft. Pecuniam multam AVGVSTVS et fenatus Romanus dederunt. a) Statuam, aere collato, iuxta fignum Aefculapii ftatuerunt. b) Ipfam autem hanc curationem, ob principem in re publica virum, patriae patrem, ab eo fanatum et conferuatum, tanti fecere auctores, qui AVGVSTI hiftoriam perfcripferunt, vt fola ANTONII MVSAE opera Auguftum ab ancipiti morbo liberatum effe perhibeant. PLINIVS etiam dum ANTONIVM MVSAM nominat, curationis laudem vbique paene fimul perhibet, vt mox Auguftum eius opera prudentiaque conferuatum, c) contraria medicina graui periculo exemtum, d) fuaque prorfus prudentia reftitutum ab aegritudine perhibeat. e) Iisdem paene verbis SVETONIVS f) et DIO CASSIVS g) in hiftoria hac perfcribenda vfi funt.

§. VI.

Viro tam praeclare de fe promerenti annuli aurei ius AVGVSTVS conceffit DIONE tefte, h) tanta pecuniae fumma ipfi data, vt cenfui equeftri fufficeret. i) Quo ipfo ampliffimo equeftris dignitatis iure ANTONIVM MVSAM omnes

a) Dio. Lib. *LIII.* pag. 517. C.
b) Sueton. Octav. 59.
c) *XXV*, 7.
d) *XXIX*, 1.
e) *XIX*, 8.
f) Octav. 81.
g) hift. Lib. *LIII.* loc. citat.
h) et quidem folo. *Suetonius* enim etfi *Antonii Mufae* merita in *Auguftum* aliquoties memoret, praemiaque *Mufae* data copiofe enarret, annuli tamen dati nullam mentionem fecit.
i) Quod manifefte ex *Dionis* loco patet: και δια τȣτο και χρηματα παρα τε τȣ Αυγȣςȣ και παρα της βȣλης πολλα, και το χρυσοις δακ-

omnes equitum Romanorum immunitates acquisiuisse certum est, probantibus etiam *IOANNE RHODIO*, a) *CRELLIO* b) *DAN. VINCKIO* c) *MOESENIO*, V. Ill. d) pluribusque aliis.

Quod annuli aurei ius, quo donati in equestrem ordinem euecti sunt, libertis aliisque e ciuibus Romanis, qui censum equestrem non habuere, ab imperatoribus, post Augusti tempora frequenter datum est, partim vt merita in se aut rem publicam collata amplissimo hoc virtutis praemio ornarent, partim vt partes suas augerent atque confirmarent hominibus ipsis ob acceptissima praemia perpetua gratitudine adstrictis. Sic ipse *IVLIVS CAESAR*, cum bellum aduersus *POMPEIVM* moliretur fidemque militum imploraret pro concione, existimatus est censas equestres pollicitus singulis, quod vero opinione falsa accidit. *Nam cum in alloquendo exhortandoque saepius digitum laeuae manus ostentans, affirmaret, se, ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque aequo animo detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur: promissumque ius annulorum cum millibus quadringenis fama distulit.* e) Eandem dignitatem sequuti imperatores amicis libertisque dedere, Asiatico liberto *VITELLIO*, *SVETONIO* f) *TACITO* g) testibus, vt alia exempla silentio praeteream, in quibus colligendis *GOTHOERFDVS* h) *IO. RHODIVS*, i) *LAMPE*, a)

δακτυλιοις (απελευθερος γαρ ην) χρησθαι. *Pecunia ei ab Augusto et senatu multa vsusque annuli aurei datus* est, nempe ob pecuniae multae tantam summam, quae equestri censui constituendo sufficeret.

a) ad Scribon. p. 180.
b) diff. de Anton. Musa §. 9.
c) amoenit. philolog. med. p. 170.
d) Comm. de medicis equestri dignitate ornatis §. 1.
e) Sueton. Iul. 33. Qui locus etiam probat datum equitum ius semper priscis imperatorum temporibus censum equestrem supposuisse, nec dari potuisse equestrem annulum vlli, qui censum non habuerit. Temporibus quae *Augusti* aetatem exceperunt, cum annulo dato census equestris raro datus est.
f) Vitell. 12.
g) Annal. 18.
h) in not. ad Dig. L. XL. tit. 10.
i) ad Scribon. p. 180.

PE, a) operam plurimam infumfere. Magis adhuc eadem dignitas pofteris temporibus peruulgata eft, *IVSTINIANO* eam, ceu confequens et effectum manumiffionis, omnibus libertis concedente. b)

Qui de medicorum priuilegiis fcripfere in liberandaque medicina Romana ab omni feruilis ignominiae macula infudarunt medici et philologi, annulo aureo *MVSAE* dato inprimis probare ftuduerunt medicinam temporibus *MVSAE* non feruilem, fed potius fcientiam fuiffe, quae exercentibus cum plurima pecunia infignem dignitatem conciliaret. Sed haec ex vnico exemplo deducta probant quidem, medico cuidam, ob principis omnibus fummopere dilecti vitam conferuatam, praemia ampliffima data effe, medicinam autem horum temporum a feruili conditione non liberant. Neque tanti putanda equeftris dignitas eft ANTONIO *MVSAE* conceffa, admodum vulgata iam Augufti temporibus, publicatis calamitatum ciuilium temporibus complurium equitum Romanorum bonis, quae ad alios translata, cum equeftri cenfu dignitatem fimul ad ignobiliores familias detulerunt.

Equeftris autem annulus licet equeftres cenfus temporibus *IVLII CAESARIS* et *AVGVSTI* fimul comprehendat, manifefte id probante *SVETONII* fupra iam citato loco, quo militum cohortes opinione falfa putabant Caefarem fingulis equeftres cenfus pollicitum, cum in concione dignitum oftentaret, et DIONE, liberti tamen annulo aureo ab imperatore donati, licet dignitas ipfis vere equeftris hoc annulo conftitueretur, prior in fpectaculis locus, equeftri cenfu, qui ad equitem Romanum neceffario requirebatur, accedente, in equeftrem tamen dignitatem faluo patronatus iure transierc. Hinc is, qui ius annulorum impetrauerat, vt ingenuus ex PAVLI c) mente habebatur, quamuis ab haereditate eius patronus non excluderetur. Hinc ex VLPIANI d) mente libertinus, fi ius annulorum aureorum impetraffet, ingenuus quidem intelligebatur, faluo tamen patroni

a) de honorib. et priuileg. medicor. a pag. 85. paffim.
b) *Struvii* Syntagm. iuris civ. P. *III.* cum addit. Petr. Mülleri exerc. 40. l. 40. tit. 10. de iure annul. aureor. §. 59. *Heineccii* antiquit. Romanam iurisprudent. illuftrant. fyntagm. Lib. I. tit. V. 17. 18.
c) L. *IX.* ad leg. Iul. et Papiam. Dig XL, 10.
d) L. I. ad leg. Iul. et Papiam. Dig. XL, 10.

patroni iure. Hinc lege etiam Romana cautum eſt, vt alimenta libertus, annulo aureo, conſentiente patrono, ab imperatore donatus, a patrono ſibi relicta conſequeretur, a) libertus autem, qui annulorum ius inuitis aut ignorantibus patronis acceperat, eodem iure priuaretur. b) Ipſi quoque legum Romanarum interpretes celeberrimi, DIONYSIVS GOTHOFREDVS c) G. A. STRVVIVS d) aliique in eo perfecte conſentiunt, quod liberti, annulorum aureorum iure impetrato, ideo tamen liberti eſſe non deſinerent, ſed ſaluo ex omni parte patronatus iure, ipſorumque iure, quo alimenta a patrono conſequi poterant, equitum quidem honoribus omnibus fruerentur, ob patronorum tamen in eos iura, quae equeſtris conditio non infirmauit, ab equitibus diſtincti eſſent. Viuebant, notante ſatis commode et probante praeclare STRVVIO, e) liberti, qui annulorum ius acquiſiuerant, tanquam ingenui, dignitate Romanis equitibus aequales, ſed moriebantur tanquam liberti, imaginem tantum ingenuitatis, impetrato annulorum aureorum iure conſequuti, quod etiam GOTHOFREDVS f) adfirmat, dicens, annulum tributum libertis eſſe vt equites ſint, vel quaſi equites, nempe vt equitum quidem immunitatibus ex omni parte fruerentur, alia tamen equitibus Romanis propria non conſequerentur, veram nempe et ab omni obligatione liberam ingenuitatem.

Quibus omnibus rite perpenſis aequi harum rerum iudices facile intelligent, annuli aurei ius rei publicae Romanae antiquis temporibus ciuibus Romanis ingenuis et equeſtrem cenſum habentibus proprium, ab imperatoribus Romanis libertis tributum, haud tanti fuiſſe, vt ex hoc iure, peculiarem profeſſionem exercenti cuidam ob ſingularia merita dato, in ipſam profeſſionem, aut in omnes eam poſtea exercentes eadem equitum Romanorum priuilegia ceciderint. Communes enim admodum fuiſſe equites Romanos ex libertis, imperatorum temporibus, inprimis poſt IVLIVM CAESAREM et AVGVSTVM, ex HADRIANI reſcripto, quod VLPIANVS g) excerpſit, ex COMMODI h) lege, qua ius annulo-

a) Papinian. L. I. reſponſor. Dig. XL, 10.
b) Marcian. Inſtitut. L. I. Dig. l. c.
c) in not. ad Dig loc. citat.
d) Syntagm. iur. civil. c. addit. Petr. Mülleri P. III. exerc. 40. L. XL. tit. 10. de iure annulor. aureor. §. 59. vid. et quos ibi citat auctores.
e) in libro cit. l. c. ad fin.
f) in not. ad Dig. XL, 10.
g) Lib. I. ad Leg. Iul. et Papiam. Dig. l. c.
h) Marcian. inſtit. I. Dig. l. c.

nulorum aureorum omnibus ademtum eſt, qui id inuitis aut ignorantibus patronis acquiſiuerant, et ex eo intelligi poteſt, quod IVSTINIANVS omnibus libertis ius annulorum ſiue diſcrimine conceſſerit, nullo certe equeſtris cenſus reſpectu habito, ad quem, teſtante etiam ARNOBIO, a) qui diſerte dicit pecuniam annulos et priora loca in ſpectaculis donare, primis imperatorum Romanorum temporibus diligenter ſemper reſpectum eſt.

Medici autem quidam, ſpecioſam dignitatem arti accedere putantes, cum, quae ſeruilis antea Romae ſaltim ex parte fuerat, ab equite Romano exerceretur, priuilegiorum et immunitatum ſummam in hunc annulum MVSAE datum contulerunt, omnes, qui Romae poſt ANTONIVM MVSAM arti medicae exercendae operam dederunt, equitum Romanorum dignitate et immunitatibus vſos adſeruerunt, et medicorum nobilitatem non ab arte, quam profitentur, et exercent nobiliſſima vtiliſſimaque generi humano, ſed ab annulo aureo ANTONIO MVSAE ab AVGVSTO dato deduxerunt, b) inſolito ſane modo et ab omni veritate quam maxime alieno, putantes forte viliorem reddi ſalutiferam ſcientiam, ſi equeſtris dignitatis ornamentum, quod fortuna ſola MVSAE AVGVSTVM a graui morbo liberanti dederat, poſteris medicis decederet. c) At parum firmo fundamento nituntur, quae ad medicorum Romanorum poſt Muſae tempora equeſtrem dignitatem probandam producuntur. Habemus manifeſte medicos Romanos ſeruos, libertos poſt AVGVSTI tempora florentes, quod de ASCLEPIADIS adeo celeberrima medicinali familia, cuius nomen in maximo honore apud Romanos habebatur, REINESIVS d) probauit, et ſupra, adductis copioſe teſtibus, de aliis etiam probatum eſt. Nec ipſe vnicus annuli aurei ANTONIO MVSAE dati teſtis DIO dicit annuli aurei ius medicis conceſſum eſſe omnibus Romae medicinam exercentibus, ſed *immunitatem*, hoc eſt Quiritium ius libertatemque artem libere exercendi non ipſi modo ANTONIO MVSAE, ſed omnibus quoque eandem artem exercentibus in poſterum quoque tempus conceſſam eſſe. e) Nemo profecto fuerit qui ex immunitatibus praeceptoribus, grammaticis, a IVLIO CAESARE et AVGVSTO conceſſis, annulorum ius iis cum his immunitatibus datum eſſe autumet, de

a) Libr. IV, quem locum etiam Gothofredus citat.

b) *Lampe* tr. de honoribus et priuilegiis medicor. *Io. Rhodius* ad Scribon. p. 180. *Neandri* antiquiſſimae medicinae origines, encomion. p. 75. *Dan. Vinck* in libr. cit. ex parte etiam *Richter* in diſſ. citat.

c) Hinc etiam in plerisque vniuerſitatibus literariis his, qui in doctorum medicinae dignitatem promouentur, annulus aureus datur ceu equeſtris dignitatis ſignum, quam Auguſtus Muſae ſuo dederat. Sed falſo: quae enim Muſa acceperat, in poſteros medicos cadere non poſſunt.

d) epiſt. ad Caſp. Hoffmann. et Rupert. XLVIII.

e) hiſt. L. LIII. p. 517. D.

 

de medicis autem post ANTONIVM MVSAM Romae medicinam facientibus complurium opinio haec fuit, nullo certe modo probanda et ex eo facile confutanda, quod AVGVSTVS, popularis aurae captandae caeterum tam auidus, ciuium Romanorum honorem studio maximo conseruauerit et commendatis adeo a dilectissimis sibi et principibus in re publica viris seruis aut e seruili genere natis ciuitatem Romanam et honores alios ciuibus Romanis tantum proprios pertinaciter denegauerit. a)

§. VII.

Viro qui tantam in medicina laudem, depulso feliciter AVGVSTI diro morbo, promeruerat, libri quidam descripti sunt, alter de diaeta ad Maecenatem, cum MARCELLI de medicamentis empiricis libro, cuius partem efficit, Basileae 1536. nec non in collectione HENRICI STEPHANI cum MARCELLO editus, Norimbergae etiam cum Sexti Placiti de medicamentis ex animalibus libello, et cum Hieronymi Acoromboni Eugubii tractatu de natura et vsu lactis MDXXXVIII. typis excussus, b) cum HIPPOCRATIS operibus omnibus a LINDENIO c) iterum editus, alter vero de herba vetonica, solus aliquoties, cum APVLEII herbario, GALENI libro de plenitudine, POLYBI de salutari diaeta, BENIVENII de abditis morborum caussis, nec non cum PLINII VALERIANI excerptis ex CAIO PLINIO SECVNDO editus. Librum etiam ad OCTAVIVM CAESAREM conscripsit, in quo diligenti cura summaque breuitate singula curationum genera comprehendit, quem coram MAECENATE CAESARI ipso, vt medicinae sibi faciendae compendium haberet, tradidit, prout ipse in libri de diaeta ad Maecaenatem §. 1. testatur. De diaeta libellum ANTONIO MVSAE celeberrimi viri vix tribuerunt, HIPPOCRATI quidam adscripserunt d) MARCELLO alii, e) IANVS CORNARIVS DIOCLI, graece quippe scriptum, quum MVSAE latinas origines, at falso supponerent. Ipse autem liber licet quaedam contineat quae recentiorem paulo doctrinam redolere videntur, infra fusius exponenda, nec de frigidae ad sanitatem conseruandam firmandamque virtute aliquid in eo scriptum sit, quod factum forte esset, si MVSAM auctorem haberet, ex altera tamen parte plurima continet, quae

a) *Sueton. Octav.* 40.

b) titulus huic collectioni hic est: Sexti Placiti Papyriensis de medicamentis ex animalibus libellus. Antonii Musae ad Maecenatem suum de conseruanda bona valetudine instructio. Item tractatus vtilissimus de natura et vsu lactis D. Hieronymi Acoromboni Eugubii, ordinarii clarissimi gymnasii Patavini. Norimb. apud Ioannem Petreium 1738. in 4to. Fabricius bibl. lat. IV. 8. p. 527. t. III. Norimb. 1587. editam esse hanc collectionem dicit, forsan typographi errore.

c) *Hippocratis Opera edit. van der Linden.* t. I. p. 650.

d) cf. nobilissimum doctissimumque *Gruneri*, V. Ill. opus, *censura librorum Hippocrateorum* §. 59. *cap.* 3. *pag.* 140.

e) vid. *Gruneri* librum, l. c.

quae MVSAE admodum conueniunt, amicae familiaritatis cum AVGVSTO et MAECENATE teftimonia. MAECENATEM enim, ad cuius corporis curationem omnia explorauerit vfuque confirmata celeriter complexus fit, amiciffimum vocat, qui cum ipfo per plures annos cum CAESARE AVGVSTO moratus fuerit, quo tempore nec MAECENAS, obferuando praecepta in libello tradita, in vllum corporis languorem inciderit, nec AVGVSTVS, quem fuum dicit, moleftioris incommodi quicquam paffus fuerit. Quae egregie cum valetudinibus, quas AVGVSTVM expertum effe SVETONIVS a) narrat, conueniunt, cum crurum imbecillitate arundinum atque habenarum remedio confirmata, in qua, aliisque leuioris notae paffionibus, pariter a SVETONIO enarratis, licet permanferit, nulla tamen moleftiora incommoda fuerit expertus.

Ipfe etiam verfionis latinae, quae nobis tantum fupereft, auctor, LARGIVS DESIGNATIANVS, forte SCRIBONIS LARGVS DESIGNATIANVS, b) libri de compofitionibus medicis latini auctor, MVSAM verum libelli ad MAECENATEM auctorem effe faltim aliquo modo probat. Is enim in perfcribendis compofitionibus medicamentorum celeberrimas vfuque probatiffimas collegit, in iisque ab ANTONIO MVSA profectam ad ftomachi dolorem, vrinam mouendam, et morbum ictéritium efficacem. c) Quae coniecturae fi non fauent, faltim non aduerfa funt, nota fuiffe SCRIBONIO quae MVSA efficacia ad fanitatem conferuandam et ad morbos expertus fuerit eumque Graecum Mufae librum, vt ab interitu feruaretur et in popularem vfum transiret, in latinam linguam transtuliffe.

Denegandus itaque ANTONIO MVSAE libellus de diaeta non eft, qui efficacia pro faeculi more ad varios morbos confilia, fagaci cautoque medico digna, concifa et in anguftiffimum fpatium coacta oratione continet, quamuis in ipfo hoc libro doctrinae quaedam occurrant, quae recentiorem auctorem, Galenicae doctrinae affeclam redolere videantur. Eaque potiffimum in doctrina de quatuor humo-

a) *Sueton. Octav.* 80. 81.

b) Compof. med. 110.

c) *Largium* hunc *Defignatianum Marcellus* memorat, praefixa operi fuo de medicamentis empiricis epiftola ad filios, qua iis *Hippocrati* adfcriptam epiftolam ad Antiochum regem, epiftolamque Mufae ad Maecenatem, Hippocrati adfcriptam, et a fe e graeco fermone translatam commendat. Eiusdem *Largii Defignationi* meminere *Iof. Simlerus, catal. bibl. Gefn.* nec non *Fabricius*, bibl. lat. cur. Ernefti IV, 8. tom. III. p. 528. Alii fcriptores de rebus literariis, quos copiofe euolui, de hoc *Largio Defignatiano* filent. Coniectura mea, Largium Scribonium Largum effe nominum fimilitudini nititur, nec eft, quod ab ea decedam, donec certiora edoctus fuero, licet antiqui fcriptoris latini nullum exemplum proftet, qui graeca in linguam fuam transtulerit ediderit que.



humoribus, de quatuor generibus, ex quibus animale corpus omne constet, calido scilicet, frigido, sicco et humido, nec non in ipsa argumenti pertractatione, quae cum GALENI de eodem dictis aliquo modo conuenit, consistunt. At antiquiora GALENO haec sunt, a methodicis inprimis, quorum sectae ANTONIVS MVSA studuit, in doctrinae formam redacta, a GALENO vero alio modo, vt theoriae suae fundamenta darent, disposita. Caetera vero omnia in theoreticis exposita talia non sunt, vt theoriae a GALENO peruulgatae vllo modo adscribi possint, plura vero ad methodicorum doctrinam de adstricto et laxo referenda. Quae denique de lunae in corpora animata et in medicamentorum efficacia augenda vel minuenda vi in libro traduntur, a) a temporibus, quibus MVSA haec perscripsit, admodum aliena non sunt.

Denegasse viros doctos MVSAE librum, quem verosimiliter scripserit, et ad incertum auctorem alium retulisse, alium vero, de herba vetonica, contradicentibus licet grauissimis et nullo modo confutandis argumentis, MVSAE pertinaciter adscripsisse, admodum mirum est. Licet enim antiquissima exemplaria omnia librum de herba vetonica ANTONIO MVSAE adscribant ipsaque libro praefixa epistola opusculum, pars maioris operis de medicaminibus, MARCO AGRIPPAE, CAESARIS AVGVSTI genero inscribatur, quem carum habuisse MVSAM, ceu patroni sui amicum, generumque credibile satis foret, haec tamen libro huic ANTONIO MVSAE vindicando non sufficiunt. b)

Etenim quam infida de vero libri cuiusdam antiqui auctore coniectura ex nomine sit, quod in fronte gerit, omnibus notum est, copiosissimaque medicinalium inprimis librorum exempla sunt medicis celeberrimis adscriptorum et ab ignotae famae viris profectorum, qui, vt auctoritatem quandam libris suis conciliarent suamque doctrinam peruulgarent, satis fecisse putabant, si alieno satisque celebri nomine insignita sua emitterent. c) Nec, contradicentibus aliis omnibus, argumento praesertim, genioque scriptionis, plus fidei epistolae ad M. AGRIPPAM habenda est, monachali d) et tam parum latinae, vt quaenam in animo scriptor habuerit, vix Delio notatore erui possit, ipsaque epistola, manifeste id prodente scriptionis genio, recentior longe quam ipse de herba vetonica liber putanda sit.

Si autem MVSAM auctorem libri graeco sermone conscripti de diaeta ad MAECENATEM agnoscimus et cogitandi scribendique modum in hoc libro cum

a) de diaeta ad Maecenat. §. 10.

b) His argumentis ad vindicandum hunc *Antonio Musae* librum vsus potissimum est *Gabriel Hummelbergius*, in praefat. ad editionem Antonii Musae et Apuleii a se profectam.

c) Haec de *Hippocratis* spuriis libris docuit *Grunerus*, V. Ill. in praeclaro opere: *censura libror. Hippocrat.* cap. I. Sect. I.

d) Ita *Casp. Barthius* eam vocat. Aduers. 38, 1.

cum fcriptis in libro de herba vetonica conferimus, manifefte patet, diuerfos librorum vtrorumque auctores fuiffe. In libro de diaeta dicta enim generatim eo redeunt, vt traditis per fua figna iis, quae in fanitate delinquunt, medendi iis methodus exponatur, dicta vero in libro de vetonica herba omnia merum empiricum produnt qui neglecta morborum cognitione eorum curationi tantum, fine omni virium, quae medicamento infunt, laefionumque, quae medicamenti ope tolli debeant, aeftimatione ftuduerit.

Graece liber de diaeta fcriptus eft, de vetonica vero herba latine: et quamuis medicus Graecus natione, Romae in clariffimorum virorum commercio degens Romanaeque linguae gnarus, fua et graece et latine perfcribere potuit, rariffimum tamen eft ab vno eodemque auctore libros graece latineque fcriptos inueniri, in ambabus linguis licet verfatiffimo. Graeca infuper nomina herbae vetonicae, quae in principio libri copiofe enarrantur, vitiofiffime latine fcripta funt, isque fcribendi modus, nifi, quod ac veritate alienum non eft, quum editi de herba vetonica libri fummopere inter fe difcrepent, librariis debeatur, AVGVSTI temporibus, quibus Graeca graece, latina latine dici folebant, plane infolitus fuit.

Vt verbo rem comprehendam, neque argumentum libri medicum probum, rationalem, morbos per fua figna cognitos curantem, neque fcribendi genus et verborum vfus virum doctum prodit, qui cum AVGVSTO fummisque viris, MAECENATE, M. AGRIPPA, HORATIO, VIRGILIO, a) familiariter vixerit, fed auctorem potius pofterorum temporum, in quibus cum purioris latinae linguae cultu rationalis medicina neglecta eft.

Quoad omnia autem, infcriptionem, tractandi ordinem, fcriptionis genium, verborum vfum, modum quo morbi curantur, cum capitulis hic de herba vetonica libellus conuenit, quae in APVLEII herbario pertractantur. Nomina in vtrisque libris, eodem perfecte fcribendi modo, plantae, de qua fermo eft, graeca, latine et vitiofiffime fcripta, natalis locus, ad magiam adeo vires, qualitates, pofteaque ad morbos medicatae vires pertractantur, vt, qui non videant de vetonica

a) Extat in catalectis *Virgilii* epigramma, quo MVSAE doctrina fummis laudibus extollitur:

Cui Venus ante alios Diui Diuumque forores
  Cuncta neque indigno Mufa dedere bona.
Cuncta quibus gaudet Phoebus chorus ipfeque Phoebi
  Doctior o quis te, Mufa fuiffe poteft.
O quis te in terris loquitur iucundior vno
  Clio nam certe candida non loquitur, caet.

Talia autem in auctorem libri de herba vetonica certe cadere nequeunt.



ca librum capitulum ex APVLEII herbario esse, et primum forsan, vt quidam autumarunt, a) coecutire videantur, dum lucidissimum diem sol reddit.

PLINIVM SECVNDVM sequutos plurimos esse in conscribendis medicamentorum comparatu facilium libris nuper probaui, b) ipsumque APVLEIVM plurima e PLINIO desumsisse docuerunt BODAEVS a STAPFL c) CLERICVS d) aliique quos DANIEL VINCKIVS e) copiose citat. Dicta sane in libro de herba vetonica plurima dictis a PLINIO perfecte respondent. Quae in titulis libelli 4. 8. 9. 10. 13. 14. 16. 17. 20. 22. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 32. 33. 34. 37. 39. 41. 42. 43. 45. de vetonicae herbae virtutibus ad varios morbos proponuntur, cum dictis a PLINIO in historiae naturalis libris XXV. et XXVI. omni fere modo conueniunt, eo tamen excepto, vt compositiones et mixtiones medicamenti alias vtplurimum APVLEIVS commendet, quod in herba, cuius vsus apud populum admodum inualuisse videtur, adeo mirum non est, aliis hanc, illam aliis compositionem laudantibus.

Scripta autem haec sunt vt, publici ordinariique professoris medici munere in vniuersitate literaria Altorfina a PERILLVSTRIBVS vniuersitatis dictae CVRATORIBVS mihi clementer demamdato, oratione publica, die Mens. Iunii habenda me resque meas CVRATORIBVS vniuersitatis nostrae PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS, PATRIBVS VNIVERSITATIS CIVIBVSque commendem. Est itaque quod MAGNIFICVM vniuersitatis RECTOREM, PRAEFECTVM OPPIDI AGRIQVE ALTORFINI GENEROSISSIMVM, PATRES VNIVERSITATIS SVMME VENERANDOS, IVRISCONSVLTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, AMPLISSIMOS CIVESQVE GENEROSISSIMOS PRAENOBILISSIMOSQVE enixe petam, vt actui huic intersint eumque praesentia sua exornent.

a) Barth. Adverf. 38, 1. Editum etiam est Apuleii herbarium cum primo de herba vetonica capitulo in collectione 1528. in fol. edita a *Guinterio Andernaco*, quae Galeni l. de plenitud. librum, Polybum et Benivenium complectitur.

b) in praefatione Q. Sereni Samonici editioni praefixa.

c) in Theophrast. hist. plant. I, 9. p. 321.

d) hist. de la Medec. Part. III. Lib. I. cap. I.

e) Amoenit. philolog. medic. p. 415.

